

Festus in voce Tignum, ita: *Tignum junctum adibus vineæve, & concapune solvito.* Tigni appellatione † omne genus materiae, ex qua ædificia constant, omnia item vineæ necessaria venire Ulpianus docet §. 1. b. Sed *concapu* quid? non capio. Corruptam esse vocem facile credam, sed ex emendatoribus nescio cui. Ut elidant † hoc offendiculum, ad divinatoriam confugiunt fere omnes, pauci auspicato. Quidam legunt *vineæ ne capito*; quidam *vineæ cum capite*; alii *vineæ concapum*; hi *copula*, isti *capulo*, quæ posterior longissime a vero sensu recedit; Ita enim *Arnoldus ab Hærsolte* † *Tr. de action. part. 7. act. 10. citante Salmuthio in Comment. ad Guid. Pancirol. de per. tit. 23. p. m. 71.* explicat, quasi noluerint Decemviri tignum *capulo* seu feretro, quo mortui efferebantur, junctum, dissolvi. Pia sane interpretatio † sed ad rem minus accommodata. Etsi enim per *Capulum* Festus inter alia etiam id intelligit, quo mortui efferuntur, (unde *capularis senex*) *capuli* tamen in tigni explicatione apud Festum mentio nulla. Nulla quoque apud Jctos, qui legem hanc interpretantes, ædium quidem & vineæ crebro, *capuli* autem seu fereres nunquam meminerunt. Felicius rem tetegit † ingeniosissimus indagator Jos. Scalliger ad Festum, in voce Tignum, ubi pro *Concapet* (nam sic quoque antiqui quidam libri scribunt) legit *concapes*, quemadmodum Osce *primicapēs, procapēs, deincapēs, ancapēs* &c. dicitur. Ejus vestigia legunt *Cujacius, Hotomannus, Gotthofredus, Salmuthius d. l. Tignum* igitur † *concapes vineæ* vocatur, quando habet caput suum cum capite vitis commissum; Capita autem non summitates farramentorum sunt, sed radices, quibus tanquam ore alimentum attrahunt, ut volunt *Turnebus, Taubmannus item & Farnabius ad Virgil. Georg. lib. 2. vers. 355.* Arbor siquidem